

ut vobis tamquam eorum superiori, preceptori et maiori reverenter pareant, obediant et intendant vobisque prebeant suum auxilium, consilium et favorem in omnibus concernentibus utilitatem dicte baiullie, quociens opus fuerit et eos duxeritis requirendos, necnon universis et singulis dicte domus nostre fratribus quacumque auctoritate, dignitate officioque fungentibus, presentibus et futuris, ne contra hanc nostram presentem donacionem et gratiam aliquatenus facere vel venire presumant, quinymmo iuxta eius mentem et seriem studeant inviolabiliter observare, ac priori sive presidenti prefati prioratus, ut vos vel procuratorem vestrum in corporalem possessionem pacificam et quietam dicte baiullie inducat et inductum conservet omni contradictione remota, amoto abinde quolibet alio illicito preceptore, si quis sit, quem nos tenore presencium amovemus et decernimus firmiter amovendum. Inhibentes vobis districtius sub eadem virtute sancte obediencie, ne pretextu donacionis et gracie nostre huiusmodi aliqua de rebus, bonis aut iuribus dicte baiullie vendatis, detis, obligetis, impignoretis, permutetis, alienetis, distrahatis sive in emphiteosim perpetuam concedatis aut quocumque alio colore quesito extra nostram religionem transferatis sine nostra speciali licencia et mandato. Et si, quod absit, contra inhibitionem nostram huiusmodi aliquid vel aliqua operari vel facere vos contingat, illud et illa exnunc prout extunc cassamus, annullamus et decernimus irritum et inane nulliusque penitus existere efficacie vel valoris. In cuius rei testimonium bulla nostra communis plumbea presentibus est appensa. Datum Rhodi in nostro conventu die decimaquinta mensis Novembris anno ab incarnato Christo Ihesu, Domino nostro, millesimo quadringentesimo sexagesimo. — *Auf der Plica unten links* R(egistra)ta, *rechts* In cancellaria G. Caoursin vicec(ancellarius).

6.

Der Meister Fr. Jacques de Milly bestellt Fr. Johann von Sachsenheim, Präzeptor von (Klein)Erdlingen im Priorat Deutschland, zu seinem Prokurator für die Priorate Böhmen, Ungarn und Dacia (= Dänemark).

Rhodos, 1460 November 17

Ausf. Perg. Praha, NA MR Nr. 1204. Siehe oben Nr. 16.

NOVERINT universi et singuli tam presentes quam futuri nostras huiusmodi litteras procurationis visuri, audituri et lecturi, quod nos